



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 38. Templariorum causa continuatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

*Templariorum causa continuatur.*

Robertus Winchelseanus Archiepiscopus Cantuariensis a bienni exilio in Angliam redux hoc anno die lunæ post festum S. Edmundi Martyris, nempe 24 Nov. Londini in templo S. Pauli concilium celebrabat. Intererant ejus suffraganei pontificiis induti vestibus: ac Episcopus Norvicensis faciebat sacrum de Spiritu Sancto. Tum Archiepiscopus Latinam dixit orationem, in qua carpebat Episcopos per prelationes & ambitum electos, ac negligentes jura Ecclesiæ. Auditoribus cunctis quadraginta dierum indulgentiam largitus, provincialis concilii hujus causam proposuit scilicet convocationem concilii universalis: & quia sero erat, nihil ultra fiebat illo die. Postridie omnes Episcopi in trabeis clausis, hoc est, in amictu solito, ac reliquis Clerus eundem adierunt locum. Recitabantur duo Papæ diplomata: primum continebat convocationem concilii Viennensis: alterum Episcopis mandabat inquisitionem in querelas de Templariis. Deinde Archiepiscopi Cantuariensis epistola ad Episcopum Londinensem de convocando concilio provinciali prius diploma exequendi gratia, & Epis-

*Angl. Sac.*

*to. 1. p. 17.*

*Godouin.*

*p. 146.*

*Conc. tom. I.*

*p. 1502.*

*p. 1503.*

*p. 1508.*

*p. 1511.*

Sæcul. XIV. copii testimonium 23 Nov. scriptum de  
A. C. 1309. citatis ejusdem provinciæ Episcopis, Ab-  
batibus cæterisque concilii membris le-  
gebatur.

Eodem tempore cognitores a Papa  
pro Senonensi provincia designati cœ-  
perunt Parisiis Templariorum causam  
tractare. Senonum sedes vacabat, quia

*Baluz. to 2.*

*p. 15.*

*Gall. Chr.*

*to. 1 p. 642.*

*Baluz. to 2.*

*p. 144, 146.*

*594.*

Stephanus Bequartus Archiepiscopus hoc  
anno 1309 die sabbati sancti 29 Martii  
decesserat. Rex Philippus Pulcher ad  
hanc magnam dignitatem promovere  
volebat Philippum Marenninum tunc

Cameracensem Episcopum, fratrem En-  
gerrandi Marennini, cui maxime tavebat.

Igitur orabat Papam, ut Philippum Se-  
nonas transferret. Reposuit ille: Quan-

quam similes reservationes nobis displicent,  
tibi tamen decenter satisfaciendi

modum non videntes alium, Ecclesiam  
Senonensem nunc nostro quidem arbi-

trio reservavimus, rogantes, ne nos sine  
gravi causa impellas ad talem agendi

rationem. Dabat Avenione 6 Maji. Nota  
Papam a Rege inductum esse ad has

reservationes; de quibus tantæ postea  
querimonix sunt jactatæ, quod impedi-

rent electiones canonicas, & Papa ipse  
illas improbasset. Philippus Marenni-

nus reapse Senonas translatus fuit: sed  
possessionem suæ sedis non adiit nisi

sequente anno 8 Aprilis: & Came-  
raci

*Gall. Chr.*

*p. 241.*

raci successorem habuit, non quem Rex <sup>Sæcul. XIV.</sup>  
 volebat, Guilielmum Triensem, sed Pe- <sup>A.C. 1309.</sup>  
 trum Levium Mirapicium, antea Episco-  
 pum Magalonensem, postea Bajocassi-  
 num.

Vacabat, inquam, Senonarum sedes, <sup>Dupui</sup>  
 cum constituti a Papa Cognitores cau- <sup>Templ. p. 40.</sup>  
 sæ Templariorum Parisios venerunt. E- <sup>115.</sup>  
 rant octo, Archiepiscopus Narbonensis, <sup>Sup. §. 27.</sup>  
 Bajocassii, Mimati, ac Lemovicarum E-  
 piscopi, tres Archidiaconi diversarum  
 diocesium, ac Præpositus Aquisextanus.  
 Mense Augusto an. 1309 Parisios delati,  
 die Veneris ante festum S. Laurentii o-  
 ctavo ejusdem mensis citabant totum  
 Ordinem, ut se ipsis sisteret in exedra  
 palatii episcopalis postridie festum S. Mar-  
 tini. Dein mittebant, qui eundem ci-  
 tarent in reliquis octo provinciis, qui-  
 bus nomina fecerunt urbes Remi, Rotho-  
 magus, Turones, Lugdunum, Bituricæ,  
 Burdigala, Narbo, & Ausci. Die sab- <sup>Dupui p. 121</sup>  
 bati 22 Nov. 1309 Cognitoribus in con-  
 clavi Episcopi Parisini confidentibus ob-  
 tulit se homo quidam in veste profana;  
 & interrogatus dixit se vocari Joan-  
 nem Molæum natum in diocesi Ve-  
 suntina, fuisse in Ordine Templariorum,  
 ejus vestem per annos decem gestasse, po-  
 stea illi nuncium remisisse: juravitque in  
 suam animam, & per fidem suam, se  
 nihil unquam mali de illo audiisse dici,  
 U u 5 vel

Sæcul XIV. vel novisse. Rogatus, an Ordinem rœ-  
 A.C. 1309. ri vellet, affirmabat; & agerent cum  
 ipso, utcunque vellet; sed necessaria ipsi  
 egeno subministranda curarent. Sim-  
 plicissimus eis ac pœne stupidus videba-  
 tur. Suadebant itaque, ut adiret Pari-  
 sinum Episcopum, cujus esset suæ dice-  
 ceseos Fratres ex Ordine fugitivos reci-  
 pere ac sustentare. Ille homo erat co-  
 gnatus Magni Magistri.

p. 123.

Hic ipse Jacobus Molæus nomine ad  
 Cognitores ductus est die Mercurii 26  
 Novembris. Citatus ab Episcopo Pari-  
 siensi responderat se venturum ad Cogni-  
 tores: quibus, an defendere Ordinem  
 vellet, quærentibus inquiebat: Ordo a  
 Summa Sede fuit confirmatus & ac-  
 cepit privilegia. Quare mirissimum no-  
 bis est Romanam Ecclesiam illum tam  
 celeriter suppressum cupere, cum tamen  
 sententia Imperatorem Fridericum gradu  
 movens per annos triginta duos dista-  
 ta fuerit. Ad me quod attinet, Ordinem  
 tueri per me ipsum non satis scio; par-  
 ratus tamen sum id facere pro viribus  
 meis: ignavus enim ac nullius pretii  
 homo forem, nisi defensionem ejus lu-  
 sciperem, tot bona & honores ab eo ne-  
 ctus. Difficilis res est: fateor: sum ca-  
 ptivus Papæ ac Regis: ne quatuor mil-  
 dem denarios, quos hanc in rem im-  
 pendam, nec Fratrem mecum habeo pro-  
 terquam

terquam famulum. Quocirca opem ac Sæcul. XIV.  
consilium peto. Etenim, an vera sint, A.C. 1309.  
quæ de Ordine dicuntur, non modo hu-  
jus Equites, sed in cunctis terræ par-  
tibus Reges, Principes, Pæfulesque ac  
Optimates cognoscere volo; quamvis  
nostri Fratres nimium rigidi fuerint in  
nostris juribus tuendis contra plures Præ-  
fules.

Cognitores eum jubebant defensionem, ad quam se offerret, rite versare animo & cogitare, quid jam confessus fuisset contra se ac Ordinem. Audiemus tamen, addebant, hanc defensionem; quin etiam deliberandi spatium tibi dabimus. At scias in materia hæresis ac *c. Stat. 20. de hæret. in 6to.*  
ra Causidicorum, & sine forma judiciaria. Deinde ut deliberare cum notitia posset, ei curabant legi ac etiam exponi vulgari lingua traditum sibi mandatum, cæteraque scripta necessaria. Cum ventum esset ad ea, quæ Canone coram tribus Cardinalibus factus erat, bis formato signo crucis, editisque admirationis magnæ iudiciis agebat, Si Cognitores fuissent homines alii, & ipse habuisset libertatem, se locuturum aliter fuisset. Tum Cognitores: Non sumus ii, qui certaminis pignus accipiamus. Quibus ille: Non id est, quod volo dicere. Sed utinam ejusmodi improbis fieret, quod talibus

**Secul. XIV.** talibus Saraceni faciunt & Tartari, qui  
**A.C. 1309.** eis caput & corpus medium secant.

Per illos improbos intellexisse calumnia-  
 tores videtur. Denique ad proximum  
 diem Veneris usque deliberandi tempus  
 postulabat, quod Cognitores ei concede-  
 bant. Postea per apparitorem edixe-  
 re, ut se fisteret, qui Templariorum Or-  
 dinem tueri vellet. At nemo compa-  
 ruit.

Die Veneris ante festum S. Andreae  
 vigesimo octavo Novembris Cognitores  
 venire ad se jusserant Magnum Magistrum:

**p. 132.** quem, ut prius, adducebant Philippus  
 Præpositus Ecclesie Pictaviensis, & Joan-  
 nes Hienvillanus aulae regiae Ostiarius,

a Papa & Rege Templariorum custodiae  
**p. 127.** præfectus. Magister, an Ordinis agere  
 Patronum vellet, rogatus reposuit: Sum

Eques illiteratus, & inops: atque me  
 cum quibusdam Equitibus primariis Pa-  
 pae judicio reservatum per litteras ejus  
 aliquas ex illis, quæ mihi lectæ sunt,  
 comperi.

Igitur adibo eum, quando  
 ei placebit: & quia mortalis sum sicut a-  
 lii, eundem moneatis, precor, ut me  
 quamprimum citet. Adjungebat postea,  
 se conscientiam suam exonerandi causa  
 velle ipsis tria exponere Ordinem suum  
 contingentia.

Et primum quidem haud novi, a-  
 bat, Ordinem religiosum, ejus templa  
 melius

melius instructa sint ornamentis, cæte- Sæcul. XIV.  
 risque omnibus, quæ ad servitium divi- A.C. 1310.  
 num pertinent; & ubi Sacerdotes isto  
 rectius fungantur, si demam templa ca-  
 thedralia. Deinde nescio, ubi plus  
 stipis detur: nam ea cunctis in domibus  
 nostris quavis hebdomade ter traditur  
 singulis venientibus. Denique nemo ma-  
 gis exposuit vitam, vel plus sanguinis  
 fudit pro fide tuenda contra inimicos e-  
 jus. Cum Cognitores subjungerent,  
 hæc omnia nihil prodesse ad animarum  
 salutem, quando hujus fundamentum  
 fides deesset, affirmabat ille credere se,  
 quidquid ad catholicam spectaret fidem.  
 Postremo flagitabat, ut sibi liceret adesse  
 sacro, ac reliquo officio divino, & habere  
 suum sacellum, atque custodes ejus. Fa-  
 ctus est voti compos.

§. XXXIX.

*Concilium Coloniense.*

Sequente anno 1310 celebrata sunt plu-  
 ra concilia provincialia. Henricus to. II. conc.  
 Archiepiscopus Coloniensis ex singulari p. 1517.  
 Papæ Clementis mandato convocavit p. 1532.  
 suum & habuit prima jejunii verni heb- Gall. Chr.  
 domade per triduum, scilicet die lu- to. I. p. 845.  
 næ 9 Martii, & proximis diebus Martis  
 ac Mercurii. Intererant Guido Ultra-  
 jecti, Engelbertus Osnabrugæ, & Gode-  
 fridus